DE SINGVLARI SENSIBILITATE HYPOCHONDRIACORVM EIVSQVE CAVSSIS,

DIVINI NVMINIS AVSPICIIS
ET
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS CONSENSV
PRAESIDE
D. ANDREA ELIA BÜCHNERO
SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMO PRVSSIAE REGI A CONSILIIS INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,
IMPERIALIS ACADEM. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE
ET COMITE PALAT. CAESAREO,

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS,

D. XXX. AVGVSTI, A. S. R. CIƆIƆCCXXXXIX.
H. L. Q. C.
IN REGIA FRIDERICIANA
DISPVTABIT
M. MICHAEL GIRALDVS,
CORONA-TRANSYLVANVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

SINGVLARI

SENSIBILITATE HYPOCHONDRIACORVM

EIVSQVE CAVSSIS.

PROOEMIVM.

Quam in pluribus morbis animadvertimus peculiarem animi corporisque constitutionem, qua fit, vt facile adficiantur ac laedantur aegri ab iis etiam caussis, quas perferre sani sine ulla noxa possunt: eam in hypochondriaca *quoque* passione *satis manifestis indiciis deprehendimus. Cum vero quam maxime necessarium Medico sit, ad idiosyncrasiam subiectorum, hoc est, singularem indiuiduorum habitum, respicere, idque communi omnium Medicorum fiat consensu: in hypo-*

chondriacis quoque vt ad ſenſibilitatem *illam* peculiarem, *quam variis effectibus probare quotidie ſolent, animum advertat, neceſſe omnino erit. Quotidiana enim conſtat experientia, quod huic ſalutis cauſſa eſt, id alii eſſe pernicioſum, neque adhuc aliquod excogitari remedii genus potuiſſe, quod iisdem ſub circumſtantiis, eadem doſi exhibitum, in omnibus eundem praeſtet effectum. Sic, ut unicum tantum illuſtrationis gratia exemplum adferamus, reſinoſa purgantia, phlegmatico exhibita, pulchre viſcidam ac pituitoſam expellent materiam; eadem vero doſi ſi cholerico ac ſtrictioris habitus ſubiecto exhibeantur, non ſolum minime ſalutarem praeſtabunt effectum, ſed funeſta quoque inſuper ſymptomata, tormina ingentia ipſasque inflammationes poſt ſe trahent. Quin in eodem ſubiecto idem remedii genus, pro morbi diverſitate, tam ſalutarem, quam lethalem praeſtabit effectum. Exhibe lue venerea laboranti, ſi purgari debeat, mercurium dulcem, efficiet is id, quod expectari a tam pulchro remedio poteſt. Fac idem ſubiectum poſtea in ſcorbutum incidere, porrige ipſi idem illud remedium, nae tu peſſimum feceris? cum a ſalium in ſcorbuto praeſentium copia mercurius, in minimas moleculas diſcerptus ac reſolutus, in minima quoque vaſcula ingrediatur, eaque irritando, ſontica ſaepe accerſat ſymptomata. Et hic certe magna, quae empiricum inter & prudentem Medicum intercedit differentia, optime cognoſcitur. Communica quaeſo empirico remedii aliquod genus, quod tollendo cuidam malo aptum ſit, adplicabit hoc ille continuo in omnibus ſubiectis, nulla habita, aetatis, temperamenti ac cauſſarum morbi diverſa-*

versarum ratione; cum prudens contra Medicus caute agat ac circumspecte, omnia diligenter exploret, naturam, ut vulgo dicunt, subiectorum prius inquirat, & refracta potius dosi primum in ignoto antea subiecto periculum faciat, quae augeri dein pro circumstantiarum ratione facile poterit: alias enim, si semel irregulares atque anomali motus a pharmaco quodam fuerint excitati, non tam cito hi moderantur.

Haec cum ita se habeant, non inutilem nos facturos iudicauimus operam, si peculiarem *illam* sensibilitatem, *quae* hypochondriacum *potissimum* malum *comitatur, paullo curatius exponamus, in eiusque caussas inquiramus. Cum enim is morbus sit in Academiis quoque admodum frequens, &, si dicere licet, in iis fere endemius, non inutile fore putamus, si in scripto academico, quod inaugurale sistit specimen, aliquid de eodem commentemur. Plures certe confidimus nos inventuros Lectores, qui rerum a nobis exponendarum veritatem propria experientia didicerunt. Eum autem in tractatione nostra ordinem sequemur, vt primo de* sensibilitate subiectorum in genere *exponamus; deinde* hypochondriacorum singularem sensibilitatem *enarremus, tandemque eius* caussas *ex constitutione eorum, qui hoc morbo laborant, deducamus. Faxit modo summum, quod cuncta gubernat, Numen, ut conamina haec qualiacunque nostra cedant feliciter!*

§. I.

SENSIBILITAS generali vocis ſignificatu, eſt aptitudo ſentiendi: nobis vero hic, pro recepto in Medicorum ſcholis uſu, *eum* deſignat *ſubiecti cuiusdam ſtatum, quod facile ab externa vel interna quadam agente cauſſa adficitur, & ad motus quosdam diſponitur.* Sic ea in ſpeciali quodam caſu *ſenſibilia* erunt *ſubiecta*, quae a conſpectu rei alicuius, aut ab eadem per alium ſenſum adpercepta, vel ad nauſeam, vel ad alios motus commoventur, cum alii tamen nihil plane ab eadem re ſentiant mali. Videmus tales, qui felium, ranarum, vel aliorum animalium conſpectum ferre nequeunt, & ſi vel in eodem cum tali animante conclavi ſint, ad lipothymiam usque adfliguntur. Quid? quod a ſola actione quadam graviter adfligi quosdam, conſtat. Ridiculum extat magni alicuius belli ducis ſatis quoque recens exemplum, qui ferre non poterat, ſi quis thecam, in qua ſal menſae imponitur, ſubverteret, & ſi hoc caſu accideret, continuo in animi incidebat deliquium.

§. II.

§. II.

Facile intelligitur, duplicem potiſſimum *generalem* eſſe *ſenſibilitatis* huius *cauſſam*, *immaterialem* alteram, alteram *materialem*. Immaterialis in ſolo animo reſidet, atque labi alicui imaginationis ac phantaſiae potiſſimum debetur: materialis in ſola corporis conſtitutione quaerenda, eaque a ſexu, temperamento, aetate & rebus ſic dictis naturalibus, dependet. Imo utraque haec cauſſa ſaepius complicari poteſt, ut & animi temperies & corporis conſtitutio ad ſenſibilitatem aliquam efficiendam conſpirent. Utraque igitur cauſſa conſideranda, ſi de effectibus illius ſenſibilitatis iudicari debeat. Non ignoro quidem, ius Medico atque poteſtatem in animos hominum non eſſe, adeoque inutilem videri poſſe eius cauſſae, quae in animo poſita eſt, conſiderationem. Sed neque ignoro quanta vis ſit atque potentia corporis in animum, quamque varie mens adficiatur ac diſponatur a corporis conſtitutione: ut adeo non male fecerit, qui ad mentem quoque in praxi medica reſpexerit, ut varia nempe phantaſiae ac imaginationis ludibria, a corporis humoribus eorumque conſtitutione & motu pendentia, corrigantur ac diſſipentur. Quis enim ignorat, opus habere immortalem ſpiritum, qui corpus hoc noſtrum inhabitat, organis cerebri materialibus ad varias rerum ideas producendas ac coniungendas. Cum itaque haec organa varie ſint, pro ſanguinis atque reliquorum humorum temperie, diſpoſita, inde enatae mentique impreſſae ideae, ut variae quoque ſint atque diverſae, neceſſe eſt. In quantum igitur immateriales

ideae

ideae mentis per materialia cerebri organa producuntur, in tantum quoque Medicorum potestati subiectae sunt. Neque superfluum adeo erit, immaterialem illam caussam considerare.

§. III.

Nihil agere solemus, nisi ratio adsit, quae nos ad id faciendum disponat. Et haec vel a voluptate quadam, quam inde percipimus, vel ab ingrata sensatione, quam evitare conamur, est derivanda. Sic cibos & potum adpetimus & adsumimus, quia experientia nobis constat, nos inde refici & gratam experiri sensationem; famem & sitim aversamur, quia sensationes ingratae sunt. Quoties igitur grata nobis rei alicuius idea obvenit, toties illam adpetemus: & contra, quoties ingratae rei idea menti occurrit, toties eam aversabimur. Porro observamus, constantem eam esse phantasiae legem, ut non singulas solum rerum imagines producat, sed eas simul coniungat, quae cum re, quam nobis repraesentamus, coniunctae fuerunt. Sic si amicum quendam mihi repraesento, simul cum eius imagine locum coniungo, in quo eum videre alias mihi contigit, & haec universalis lex caussa est mirae illius confusionis, quam in insomniis saepe animadvertimus. Accidit vero, ut cum re alias non ingrata, simul sensibus nostris ingrata alia res occurrat: e.g. si in aliquo grato edulio foedam aliquam illapsam bestiolam inveniam, quae nauseam mihi ac aversationem creat, fiet inde lege phantasiae, ut, si illud mihi edulium repraesento, occurrat simul menti imago rei foedae & adversae, sicque aversatio hinc orietur.

Inde

Inde potissimum derivandum puto, quod e.g. canis baculum metuat, quocum semel plagas accepit; non quod, sicuti quidam putant, hic ratiocinium quasi quoddam instituat canis, sed quia generali illa phantasiae, quam bestiis quoque denegare nemo sanus audebit, lege, sentit plagarum acceptarum atque baculi adeo, tanquam instrumenti, aversationem. Memoria, cum imbecillis sit, ac intereant saepe & oblitterentur quarundam rerum imagines, fieri potest, ut intereat ea rei foedae simul visae imago, solaque remaneat aversationis idea. Eveniet sic tandem per phantasiae errorem aliquem, ut coniungamus aversationis ideam cum re simul sensibus percepta, omissa foedae rei imagine. Reddi inde ratio potest τῆς ἰδιοσυγκρισίας quorundam subiectorum, quae hunc vel illum cibum aversantur. Patet quoque exinde, cur quidam ita sensibiles sint, ut nullam ferre contradictionem possint, sed statim, si quis audeat ipsis contradicere, flammas ignemque vomant, ac furere videantur. Non equidem negabo, temperamentum hic quoque concurrere, ut cholerico-melancholicus minus ferat contradictionem, quam sanguineus: sed & idem illud, quod diximus, phantasiae vitium hic concurrere, is saltem facile animadvertet, qui reputaverit, sanguineos quoque & in genere omnium temperamentorum homines in illud incidere vitium, si consuetudo & prava educatio accesserit. Si enim infantibus numquam contradicitur, sed omnia, quae agunt, tanquam pulchra ac laudabilia praedicantur, assuescit paullatim mens, ut omnes, quas sibi fingit, ideas pro veris pul-

chrisque habeat: & si quis dein aliquid neget, quod talis homo affirmaverit, continuo aversatio quaedam in eius mente excitabitur, quae in verba & actus dein erumpit.

§. IV.

Quae corpori debetur sensibilitatis caussa, cum in temperamento, hoc est congenita quadam fibrarum nervosarum constitutione, tum quoque in statu eorum praeternaturali, sive morboso, posita est. Novimus nervos corporis nostri tensos esse, & pro vario tensionis huius gradu varias quoque esse rerum obiectarum sensationes, ut quo magis tensa fibra sit, eo maior ex eius vibratorio motu oriatur sensatio. Dubia quidem res plurimis videtur Physiologis, tensos nervos esse, cum & molles sint & flexiles, neque in recta aliqua linea pergant, sed reflexi sint & vario modo incurvati. Sed si dicendum quod res est, nondum me eorum, qui tensos esse nervos negant, movere ita potuerunt argumenta, ut assensum praeberem meum; qui enim tensionem impugnant nervorum, ad duo potissimum animum non videntur advertere, siquidem primo nervi non eo modo considerari possunt ut alia corpora tensa, quae non eo modo, quo nervi, composita sunt, hoc est, non ex fibrarum multitudine constant, sed ex variis inaequalibus partibus composita sunt. Chorda, quali ad musica instrumenta utimur, est durum corpus; filum sericum, licet eodem modo tensum, longe tamen erit mollius. Fibra nervea vero quam subtile corpus, quanto subtilius serico filo! prorsus vt omnem fere sensum effugiat. Fac-

tendi

tendi tam subtilem fibram, a tensione non fiet durior, cum per se mollis sit. Nervi ex talibus fibris constant, ita tamen inter se iunctis, ut satis amplum inter ipsas intercedat spatium, per quod movetur fluidum quoddam crassius, dissecto nervo effluens & sensibus patens, quodque proprie *nerveum* dixeris; cum subtilior illa materia, motum sensumque praestans, quae in ipsis fibris nerveis continetur, nec sensibus patet, rectius *spirituum animalium* nomine veniat. Nervus itaque non durum corpus erit, sed satis molle, licet omnes eius fibrae per se tensae sint. Distingui itaque corpora ea, quae ex fibris pluribus tensis componuntur, ab aliis debent, quae tensa veluti unum continuum constituunt; illa mollia esse possunt, omnibus licet fibris tensis, haec non item. Deinde duplex datur tensionis modus: Corpus enim elasticum solidum tenditur, altero eius extremo immobili reddito, altero manu vel machina ad motum sollicitato. Contra cavum & flexile corpus ex altera parte apertum, ex altera clausum, tendetur, si fluidum in cavitatem eius immissum prematur. Presso enim tali fluido, aget hoc ex legibus hydraulicis in omnes vasis parietes, ergo & in illum, qui aperturae opponitur. Hoc vero dum fit, sollicitatur ea pars ad motum, adeoque idem efficit, quod manus vel machina, hoc est, tendit corpus. Responderi hoc modo iis potest, qui, si tensi nervi sint, duo requiri asserunt puncta, in quorum altero fixus vel alligatus nervus sit, in altero vis tendens adplicari debeat. Si vero, quisnam animales spiritus, vel subtilius fluidum nerveum,

tanta vi impellat ac in fibras intrudat nerveas, vt inde tendi fibra possit? quaeras, non dubitamus respondere, primam illam vim immateriali deberi principio, quod continuo novas in corpore vires producere animadvertimus. Ulterius autem quaerenti, quomodo immateriale illud ens agere in materiale, quale spiritus sunt animales, possit? respondemus, hoc nobis non magis mirum videri, quam quod unum corpus agere possit in aliud. Fieri hoc deprehendimus ope vis cuiusdam cum corpore coniunctae, quae materialis esse nequit, cum neque extensam eam nobis concipere queamus, neque solidam ac impenetrabilem. Motus igitur cuiusvis corporis cum coniunctae sibi vi debeatur; haec autem materialis non sit, sequitur ut materiam ab immateriali quodam ente moveri posse, non sit absurdum ac impossibile. Quod autem non in recta quadam linea ad cerebrum tendant nervi, sed vario modo inflexi sint, hoc certe tunc demum hanc sensationis impugnaret theoriam, si tremulum illum nervorum motum per solidas eorum partes ad cerebrum vsque propagari adstrueremus. Hoc vero cum per fluidum fiat valde subtile, quod a tremulo fibrae motu impellitur, utique hinc nec in eo argumento multum erit ponderis.

§. V.

Fibrae igitur nerveae quo magis tensae sunt, eo celerius vibrationes suas perficient, eoque maiorem producent sensationem (§. IV.). Augebitur ergo sensibilitas subiecti alicuius a maiori tensione fibrarum. Sed & alia ex physicis nota est celerio-

ris

ris vibrationis corporis elastici caussa. Fac enim duo corpora, A & B, eodem gradu tendi, corpus B vero minoris crassitiei esse, quam A, celeriores efficiet vibrationes. Videre hoc est in musicis instrumentis, in quibus quae minus crassae sunt chordae, altiorem producunt sonum; altior vero sonus a magis gravi non nisi multitudine vibrationum distinguitur. Maior itaque erit sensatio in teneriori fibra. Caussam hic habes manifestam, cur tenerioris constitutionis homines, vitae minus laboriosae adsueti, sensibiliores sint iis, qui, sub crassioribus ac rigidioribus fibris, laborioso vitae generi adsueti sunt, a quo rigidiores redduntur fibrae, & ad celeriorem adeo vibrationem magis ineptae & inhabiles. Qui igitur tenerioris sunt constitutionis, longe maiorem a paullo aucta fibrarum tensione acquirent sensibilitatem, quam qui crassiore & firmiore gaudent.

§. VI.

Quae vero maioris huius tensionis caussa sit, facile cognoscemus, si duplicem considerabimus modum, quo maior fluidi alicuius in corpore nostro concitatur adfluxus. Affluit vero fluidum versus aliquam corporis nostri partem, si vel a caussa qualicunque ab alio loco abigatur, ut copiosius dein ad hunc locum adfluat; vel si in hoc loco fiat quaedam irritatio. Observamus constantem in corpore nostro legem, ut irritationem in parte quadam maior humorum excipiat adfluxus. Nititur hac lege purgantium atque laxantium operatio, itemque in masticatoriis, in vesicatoriis & rubefa-

cientibus eadem obſervatur. Ea lex conſtanter animadvertitur, quamvis cauſſae eius, a ſubtiliori mechanismo forte derivandae, omnem adhuc acutiſſimorum licet Phyſiologorum aciem effugerint. Neque id nos valde torquet: ſufficit nobis rem conſtanter obſeruari. Maior itaque ſubtilioris fluidi nervei adfluxus concitabitur, ſi in parte quadam irritatio fuerit praegreſſa. Et haec cauſſa eſſe videtur, cur a draſtico quodam purgante tam graviter periſtalticus turbetur motus. Senſationem enim a draſtico pharmaco auctam, maior excipiet fluidi nervei verſus fibras irritatas affluxus, augebitur inde eorum tenſio (§. IV.), aucta tenſione augebitur ſenſibilitas: erunt itaque fibrae tales longe ſenſibiliores, atque a leviori adeo cauſſa ad conſtrictionem invitabuntur. Eiusmodi leviores cauſſae cum ſaepius occurrant, ſaepius quoque irregulares tales orientur motus. Accedit, quod a nimia tenſione imminuatur elementorum fibrae cohaeſio, indeque debilitas atque laxitas ſequatur, quae ſi in quibusdam inteſtinorum partibus adſit, dum in aliis auctior eſt motus, quid inde, niſi flatus, alvi ſegnities aliaque plura incommoda, ſuſcitabuntur? Haec de ſenſibilitate generatim dicta ſufficiant.

§. VII.

Diſpiciendum iam de *hypochondriacorum ſingulari ſenſibilitate.* Hypochondriacum malum vix rectius definiam, quam verbis Illuſtr. b. m. HOFFMANNI *), quod ſit *adfectus primarum viarum ſpasmodico-flatulentus, ab inverſo & perverſo motu peri-*

*) Med. rat. ſyſt. Tom. III. p. 64. Edit. Geneveuſ.

peristaltico natales suos trahens, per consensum vero reliqua simul abdominis viscera cum vena portae connexa, totumque nervosarum partium systema, in irregulares motus coniiciens, & totam oeconomiam functionum perturbans.

§. VIII.

Admodum gravibus, licet non adeo periculosis, stipatus hic morbus incedit symptomatibus. Cum enim plane hic irregularis sit atque perversus motus peristalticus, flatus copiose generabuntur, qui, ventriculum & intestina expandendo, tormina efficient, praecordiorum anxietates, cordis palpitationes, alvi segnitiem. Impeditur eo modo tum chylificatio, tum sanguificatio: ob diuturniorem enim scybalorum retentionem crassae quoque & impuriores chyli partes villosae ingrediuntur tunicae tubulos & ad sanguinem deferri debent. Sic spissior reddetur sanguis, & per minima vascula transire recusabit, orientur inde eius in minoribus vasculis stagnationes atque infarctus. Porro ob diuturniorem in ventriculo moram cibi acescent, &, si potissimum fermentescibilia assumta fuerint, fermentabunt. Acidus ille chymus non omnis e ventriculo exturbabitur, ob fibrarum ventriculi debilitatem, indeque imminutam eius actionem. Opplebitur itaque ventriculus acida quadam saburra, quae, irritando dein tunicas eiusdem, famem auctiorem & adpetitum spurium, ructus nidorosos aliaque producet, quae quotidie in hypochondriacis animadvertere licet, incommoda.

§. IX.

§. IX.

Motus peristalticus imminutus irregularem quoque efficiet sanguinis, per ipsas intestinorum membranas ac per omnia abdominis viscera, motum. Dum enim vel spasticis stricturis adficiuntur, vel debilitata languent intestina, vasa in eorum membranis discurrentia vel comprimentur & angustiora fient, indeque sanguinem contentum ad alia propellent loca; vel robore carebunt ad propellendum vegete satis sanguinem. Fiet inde, ut tardius per membranas has transeat purpureus latex; dum vero hic tardius mouetur, in aliis locis, vena potissimum portae, accumulabitur, quae per totum fere intestinorum canalem ramos dispergit. Accumulato vero in vena portae sanguine, alii huius venae rami distendentur; orientur sic molimina haemorrhoidalia, quibus minus rite succedentibus, quot malis, incommodis, torminibus adfligantur, nemo ignorat.

§. X.

Ab eodem quoque denegato & impedito sanguinis per viscera abdominis circulo eiusdem versus caput maior congestio, accumulatio, & imminutus per cerebri vasa oritur motus. Torpor inde & grauitas capitis, somnolentia, sensuum internorum hebetudo, dolores quoque capitis, & specialis ille, quem clavum dicunt, sensum cultri per tempora vel in vertice infixi exhibens. Porro a distensione vasorum, per auris internae cavitatem & tympanum discurrentium, aurium tinnitus, vel veluti aquarum cadentium sonitus. Vasorum oculi infar-

ctus

ctus visus hebetudinem, scotomiam vel corruscationes ac vertiginem, serosam item defluxionem ac lippitudinem infert, aliasque adflictiones, quas hic enarrare longum esset.

§. XI.

Observamus ea potissimum hoc malo adflicta esse *subiecta*, quae irregulari diaeta utuntur, cibos viscidos, tenaces, fermentescibiles vorant, dilutiora potulenta parcius adsumunt, ebrietati dedita sunt, vitam sedentariam vivunt, transpirationem negligunt, venere abutuntur, vel studiis ac meditationibus profundioribus nimis indulgent. Facile enim patet, per has, quas enarravimus, caussas id effici, ut aggravata atque distenta intestina magis magisque debilitentur, sanguis spissior reddatur, impuritates in eo accumulentur, fluidum nerveum, quod robur ac tonum vitalem omnibus fibris largiri debet, imminuatur, phantasia, memoria aliaeque inferiores animi facultates debilitentur.

§. XII.

Praeter haec enarrata hypochondriacorum symptomata, singularis quoque in iis observatur *sensibilitas*, qua fit, ut facile laedantur & irritentur a variis externis ac internis caussis (§. I.). Iam duplex est sensibilitatis caussa, materialis ac immaterialis (§. II.): duplex igitur quoque erit sensibilitas, altera *mentis*, in actionibus immortalis spiritus, altera *corporis*, in functionibus vitalibus, naturalibus & animalibus se exserens. Cum autem malum hypochondriacum morbus sit, adeoque ex fundamentis pathologiae pateat, illud in alterato motu solidorum

& fluidorum potiſſimum haerere: facile patet, eam hypochondriacorum ſenſibilitatem, quae ab immateriali proxima cauſſa, turbatis nempe animi functionibus, dependet, pro remota tamen cauſſa corporis peculiarem quendam ſtatum agnoſcere. Si enim negas remotam cauſſam a corporis diſpoſitione deriuandam eſſe, nulla aderit ratio, cur ſingularis haec animi affectio in hypochondriacis tantum occurrat. Rectius igitur fecerimus, ſi prius eam, quae in corpore hypochondriacorum occurrit, ſenſibilitatem conſideraverimus, & ad immaterialem dein transeamus.

§. XIII.

Ordo requirit ut hanc ſenſibilitatem, in omnibus hypochondriacorum functionibus occurrentem, ita conſideremus, ut functionum ſimul habeatur ratio. Cum itaque *vitales functiones* primariae ſint in toto corpore, ſine quibus reliquae perfici omnino nequeunt, ſenſibilitas hypochondriacorum, in quantum a leviori cauſſa vitales inde functiones turbantur, venit conſideranda. Vitales functiones, ut ex phyſiologicis notum eſt, in *motu cordis*, indeque pendente *ſanguinis circulo*, ac in *reſpiratione*, ſive motu pectoris & pulmonum, conſiſtunt, quo aër alternatim intra veſiculas, vel ut alii malunt, in cellulofam pulmonum ſubſtantiam recipitur & extruditur. Utrasque has functiones facillime laedi atque turbari in hypochondriacis animadvertimus. Turbas vero in his functionibus tum potiſſimum experiuntur, ſi paullo plus cibi aſſumſerint, quam ſoliti alias ſunt. Immo in obfirmatis iam hypochon-

driacis a prandio semper summam praecordiorum anxietatem, spirandi angustiam, dolorem in regione scrobiculi cordis cum aliquali tumore, palpitationes cordis, aestum paullulum auctum, & ut paucis comprehendam, cardialgicos insultus experiuntur, qui peracta dein digestione iterum cessant. Hinc audimus saepe quaeritantes tales, se optare, ut absque cibo vivere possent, seque maximo semper cum timore ad mensam accedere. Hae itidem functionum vitalium laesiones facile quoque a paullo fortiori corporis motu oriuntur, praecipue si is magno impetu & non successive factus sit. Tunc enim cor quam maxime palpitat, respiratio fit brevis, difficilis & anhelosa, ut, nisi probe exercitatus Medicus sit, & ad hypochondriacum illum subiectorum statum attenderit, sed soli illi aegrorum quaerimoniae inhaereat, saepius ille decipiatur, ac pro polyposis tales habeat, iisque funestam plerumque prognosin formet, quae eventu dein destituitur, ceditque in Medici opprobrium. A leviori quoque animi adfectu vitales actiones in iis turbari animadvertimus. Sic a levi ira, timore, vel gaudio, cordis maiores experiuntur palpitationes maioremque spirandi angustiam, quam sana alias subiecta.

§. XIV.

Quod *naturales* iam attinet functiones, circa secretionem & excretionem abundantium & corruptarum partium versantes, eae non minus a levioribus caussis alterantur. Sic quoad universalem illam per ultimos arteriolarum tubulos sub cute factam secretionem, sive *Sanctorianam transpiratio-*

nem, facillime hanc turbari, iterumque saepe magno impetu per sudores fieri, animadvertimus. Exponat se hypochondriacus frigidiori paullulum aurae, statim longe citius, quam in sano, cessabit transpiratio. Contra mitius quoddam assumat diaphoreticum copiosissimos saepe experietur sudores. De urinae excretione nihil quidem peculiare est quod moneam, sed hoc tamen notari debet, diuretica in hypochondriacis longe peiorem, imo pessimum saepe praestare effectum, quam in aliis, qui hoc morbo non affliguntur. Idem de alvi quoque excretione tenendum; unde purgantia activiora longe maiori saeuitia effectum suum in hypochondriacis praestant. Cum experientia quoque constet, alvinam excretionem ita cum universali conspirare transpiratione, ut, una harum aucta, altera imminuatur; facile ex iis, quae de transpiratione dicta sunt, cognoscere licebit, quam cito turbari alvina excretio possit.

§. XV.

Animales actiones cum ab arbitrio dependeant mentis, facilius perficientur vel difficilius, prout animus constitutus est, si modo organa motus non fuerint laesa. Cum itaque in hypochondriacis, quatenus hypochondriaci sunt, & nulla alia laesio coniuncta est, musculi animalibus destinati functionibus nullo peculiari vitio afficiantur, de his multum disserendi vix nobis datur occasio, nisi ad hoc tantum attendere velis, quod ii, qui maxime animi statum produnt, musculi, qui potissimum in facie siti sunt, cum in hypochondriacis animi adsit sensibilitas, hanc

quoque

quoque sensibilitatem eodem modo per varias in cute musculosa plicas & contorsiones indicent atque declarent, quo iram, gaudium, tristitiam aliasque mentis adfectiones indicare solent. Neque haec, quam saepius notavi, vana est observatio, hypochondriacos omnium facillime peculiares quosdam gestus, veluti oris vel oculorum torsiones, manuum ac pedum agitationes peculiares, adsumere, quae dein ita in consuetudinem degenerant, ut ipsis insciis imo invitis perficiantur.

§. XVI.

Animi sensibilitas in hypochondriacis aeque magna est, quam corporis. Consistit vero haec in eo potissimum, ut morosi sint atque difficiles, facile ad iram provocentur, & non facile ferant contradictionem, sententiae, quam semel amplexi sunt, pertinaciter inhaereant, eamque omni conatu defendant. Fit inde, ut si falsas quoque atque ludicras sibi imagines finxerint, his tamen ita animum adplicent, ut nonnunquam plane inde omnem amittant usum rationis. Notum mihi tale exemplum est, docti alias satis hominis, qui profundioribus delectabatur meditationibus. Hic, cum abstractis metaphysicis speculationibus satis diu inhaesisset, & hypochondriaco malo non parum laboraret, cum consideraret, omnia quae in mundo fiunt, occulto veluti quodam vinculo esse connexa, in eam incidit stultitiam, ut catenam sibi quandam fingeret, quae omnia, quae circa ipsum erant, solidissimis quibusdam ratiociniis necteret. Incepit ratiocinium illud atque per longam syllogismorum seriem continua-

vit. In eo omnia comprehendebat, quae in musaeo suo contenta erant, quaeque audiret vel oculis perciperet. Sed cum nouae quotidie res ipsi occurrerent, crevit in immensam molem concatenata ista syllogismorum series, & ipse tandem in veram maniam atque furorem coniectus fuit. Caveant sibi propterea, qui tali affectu laborant aegri, a subtilioribus eiusmodi speculationibus, praecipue si natura imbecilles sint, cum nihil facilius accidat, quam ab hypochondriaco in melancholicum statum transitus.

§. XVII.

Praeterea *timidi* valde sunt & *meticulosi.* A levi strepitu saepe pavent, ut, si vel arborum folia levi motu se invicem atterant, gravissima saepe mala praesto futura, & vel Hannibalem ante portas esse opinentur. Nimius ille timor suspiciosos simul eos reddit, ut de aliis non ut debuissent, sed ex phantasiae suae imaginibus iudicent. Valde inde saepe fiunt sibi ipsis molesti, & ad colendam potissimum amicitiam fere plane inhabiles. Damnum quoque, quod a tali animi sensibilitate corporibus ipsorum infertur, non leve est. Novimus quam tetri sint terroris effectus, quot inde spasmi suscitentur, quot irregulares fluidorum motus sequantur, quot denique nervoso generi nocumenta inde inducantur. Quam grave igitur damnum illud erit, quod a tam frequenti saepiusque recurrente terrore erit metuendum?

§. XVIII.

Facile animadvertitur ad *tristitiam* quoque ac

dolo-

dolorem, levi data occasione, valde eos esse proclives. Anguntur saepe de rebus nullius plane momenti, atque si ad tristitiam vel externa ipsis detur occasio, vel ipsi sibi eam quaerant, periculosa sane res est, ac tunc potissimum medicamentis convenientibus & congruo vitae genere a Medico contendendum est, ne in morbum curatu difficilem, melancholiam nempe, transeat malum. Animadvertitur vero eiusmodi transitus initium, si societatem sibi quoque chariorum antea, vel sanguinis etiam vinculo atque necessitudine aliqua iunctorum hominum, fugiant, si nimis taciturni fiant, aut, si forsitan loquantur, de tristi semper re quadam sermones instituant. Probe tamen sibi caveat Medicus, ne a morali quadam, sed gravi caussa, evenientia talia phaenomena, pro melancholiae initiis vel hypochondriacis insultibus habeat atque pronuntiet, ne Theologorum censuram incurrat. Habenda nempe semper est personae ac circumstantiarum ratio, quamvis difficilis atque gravissima res sit, hic non errare, sed veram iustamque morbi caussam eruere, ne si aliquo forsitan modo erraverit Medicus, ipso malo peior dein adhibeatur medicina. Prudens, si in qua alia re, hic certe vir requiritur & in arte sua optime versatus.

§. XIX.

Mirum sane est, & iam dictis repugnare aliqua ex parte videtur, ad *laetitiam* quoque & *risum* admodum saepe hypochondriacos esse proclives. Sed experientia tamen idem confirmat. Videmus talia subiecta levi saepe data occasione in effusissimum

risum

risum atque cachinnum solvi, & ad laetitiam, saepe absque externa etiam caussa, prolabi. Idem vero hic monendum puto, quod praecedente §. iam fuit monitum, periculosum nempe esse hunc statum, atque quam maxime cavendum amicis & familiaribus, ne ita dispositis frequentem dent ridendi atque gaudium suum, sine caussa susceptum, exerendi, occasionem. Fit enim nonnumquam, ut studiose occasiones captent amici, talia subiecta, quae ob hypochondriacum statum alias tristia sunt, exhilarandi & ad risum variis nugis iocisque excitandi. Docuit autem experientia, tam graviter hic plures errare, ut in Scyllam incidant, dum Charybdim evitare conantur: Dum enim melancholiam evitare student, praecipites dantur in maniam, aeque gravem & satis periculosum adfectum.

§. XX.

Tenendum hic tamen in genere est, variam hanc sensibilitatem fere semper praedominanti temperamento subiectorum esse accommodatam, ita ut cholerici minus ferant contradictiones, melancholici suis magis inhaereant imaginationibus, phlegmatici minus sint sensibiles, & sanguinei magis ad risum & laetitiam immoderatam inclinent. Hoc ideo notandum, ut ea in talibus subiectis euitentur, quae pro temperamenti eorum ratione noxia ipsis esse possunt. Et haec quidem hactenus de ipsa hypochondriacorum sensibilitate: accedamus iam ad eiusdem aetiologiam.

§. XXI.

Caussas singularis huius, quam in hypochondriacis

driacis animadvertimus, sensibilitatis demonstraturi, oportet ut ad eas potissimum respiciamus, quibus hic adeo molestus excitatur adfectus. Ex ipsa mali hypochondriaci definitione (§. VII.) patet, hoc maxime deberi perverso motui peristaltico, is vero motus turbatur ex enarratis §. XI. caussis, quas, ibi generatim propositas, paullo nunc specialius & accuratius lustrabimus. *Diaeta* igitur non parum ad hunc adfectum confert generandum. Adsumti nempe crassiores, viscidiores atque dyspepti cibi dum diutius morantur in ventriculo & intestinis, tetros exhalant vapores, ex minimis moleculis, ignis ope expansis, ortas. Omnes nempe cibi, quos ore adsumimus, ex aqua constant, terrae, cum salino vel fixiori, vel volatili atque sulphureo principio unitae, iuncta: Constat vero ex naturali philosophia, ignem cum ex ipsa aqua, tum ex aliis corporibus, volatile aliquod principium continentibus, novum quoddam fluidi genus efficere, valde elasticum, quod *vaporis* nomine insignimus. Generabitur itaque talis vapor in intestinis, qui a calore magis resolutus, intestinorum parietes expandet, quemque *flatus* vulgo dicimus. Adde his, quod variis quoque ciborum ac potulentorum generibus aër insit, qui augebit collectorum vaporum expansionem. Fit inde, ut fibrae musculares intestinorum valde tendantur; hinc, cum copiosi nervi intertexti sint, tendentur & hi: reddentur itaque sensibiliores (§. V.). Scimus autem ex physiologicis, a maiori fibrarum tensione ingratam excitari sensationem; doloribus itaque in abdomine per-

D quam

quam frequenter adficientur hypochondriaci. Novimus porro, nervos corporis nostri esse inter se connexos, adeoque aliquot nervorum ramis tensis, reliquos quoque affici. Accidet idem in hypochondriacis. Nervis enim intestinorum, qui a pari vago & intercostali derivantur, tensis, reliqui vagi paris & intercostalis nervi in consensum trahentur. Hi vero, ut ex anatomicis notum est, respirationi inserviunt cordisque motui; ut igitur in his functionibus aliqua fiat alteratio, necesse omnino est. Maiorem tensionem maior presso excipit pede relaxatio atque debilitas; mirum inde non est, debilitari quoque intestina & ad diuturniorem dein ciborum & flatuum retentionem disponi.

§. XXII.

Vidimus §. XI. dilutiora potulenta, parcius adsumta, eiusdem mali caussam constituere posse. Sanguinem ex aqua constare, variis corpusculis, terreo-salino atque phlogisto quodam iuncta, docet nos physiologia. Constat quoque ex eadem de vita hominis doctrina, generatas in corpore humano impuritates continuo eliminari. Ad has eliminandas fluidi aquei opus est aliqua parte, quod transitum acrium harum sulphureo-salinarum partium per minimos tubulos faciliorem reddat. Imminuetur itaque quotidie aliqua fluidi aquei pars. Cum vero ad fluiditatem sanguinis conservandam necessario requiratur, ut solidae in sanguine partes se non immediate contingant, ne inde cohaesio maior oriatur; necesse est, ut intercedat eas aquae sufficiens copia, quae contactum impediat mutuum. Iam

imminuitur quotidie aquea pars; necesse igitur est, ut damnum hoc novis aqueis partibus accedentibus resarciatur. Oritur inde necessitas assumendi potulenta. Haec vero certa quadam ad solidos cibos proportione assumi debent, cum ad sanguinis consistentiam certa fluidi portio requiratur. Si itaque non sufficienti in copia fluida adsumseris, vel si talia adsumseris, quae per se spissiora iam sunt atque crassa, veluti saturatas & probe lupulatas cerevisias, inde minus iusta aquei elementi quantitas ad sanguinem perveniet. Magis itaque solidae in sanguine moleculae se contingent, fortius cohaerebunt, in maiores coibunt massas, hoc est spissior reddetur sanguis. Videmus in oculos satis incurrente exemplo, a defectu aquae in M. S. solidas eius partes arctius coire in sanguine e vena misso. Separatur ibi statim aquea pars, & rubri globuli dein solidum aliquod corpus efficiunt. Spissiori vero reddito sanguine, difficulter is in vasa capillaria ingredietur, tardius quoque movebitur, indeque orientur eiusdem stagnationes. Progressus vero sanguinis per membranaceas partes, quales parietes sunt intestinorum, per se iam satis est tardus minusque vegetus; eo itaque a spissitudine sanguinis magis adhuc retardato, quam difficulter perficietur! Sub tardiori vero sanguinis progressu, acres & recrementitiae sordes, quae alias citiori eius sub motu semper cum ipso propellebantur, iam facilius ab eo secedent fundumque petent vasorum, per quae moventur. Infigentur itaque salina haec spicula lateribus vasorum, indeque irritatio orietur. Spas-

mus vero cum ab irritatione excitetur, ab hac quoque caussa spasmos in intestinis oriri facile intelligitur.

§. XXIII.

Spissitudo vero quam diximus sanguinis, indeque evenientia mala, a sedentaria hypochondriacorum vita (§. X.) mirum quantum augentur ac sustentantur. Requiritur enim ad fluiditatem sanguinis bona eius partium mixtio, ut nempe moleculae solidae sibi magis aequales fiant, neque hic magna aliqua pars, illuc parva sit, quae, irregulari modo cohaerendo, non homogeneum aliquod fluidum, quale sanguis esse debet, produceret, sed ex crassioribus & tenuioribus mixtum, sisteret. Obtinetur haec mixtio iugi eius motu, eiusque in musculis potissimum conquassatione. Hoc nempe peculiari natura pro corporis conservatione usa est artificio, ut copiosissima per musculos distribueret sanguifera vasa, unde color eorundem rubicundus producitur. Fit enim inde, ut musculo ad actiones quasdam perficiendas moto, (quod per tendinum, unde oritur musculus & ubi terminatur, ad se invicem approximationem eiusque contractionem perficitur,) ut vasa per eius fibras discurrentia comprimantur, adeoque sanguinem propellant atque dissolvant. Magis inde magisque perficitur incepta in pulmonibus partium in sanguine mixtio. Crassiores partes dividuntur, comminuuntur & in minores moleculas discerpuntur. Quo frequentius itaque moventur musculi, eo maior fit sanguinis subactio, maiorque fluiditas. Patet itaque, quam

grave

grave damnum a neglecto musculorum motu oriatur; haec enim sanguinis subactio sub quieto musculorum statu non contingit, adeoque & spissior fit sanguis, & recrementitiae quaedam generantur sordes, dyscrasiam sanguinis excitantes.

§. XXIV.

Eadem haec spissitudo augetur ab ebrietate (§. XI.), praesertim a spirituosis vel crassis cerevisiis inducta. Novimus enim ex Chymia, spirituosa constare ex aqua, cui saponacea quaedam pars, ex oleo & alcali volatili sub fermentatione genita, itemque oleum aliquod in minimas moleculas discerptum, & praeterea acidum quoddam vegetabile, inhaeret. Quo magis dein rectificatus est spiritus, eo magis acidum abundans, iunctum phlogisto universali, mutatur in alcalinam volatilem naturam, quae cum oleo superfluo connexa, in saponaceam indolem transit. Fit inde, ut vel per se rectificatus, saepius repetita cohobatione, spiritus, vel super alcali fixo abstractus, magis resolventem praestet efficaciam, & vel ipsa durissima resinosa corpora solvat. Sed cum adeo rectificatus vini spiritus ab eiusmodi potatoribus non adsumatur, neque ego quidem auctor alicui esse vellem, ut talis ingurgitetur, cum ab abundante alcalino volatili & sulphureo principio parum boni frugis expectari possit; fit hinc, ut acidum in vulgari spiritu vini vel frumenti abundans coagulantem magis in humores corporis nostri praestet efficaciam. Peculiaris tamen quoque fateor effectus est, a spirituosis copiosius adsumtis dependens: Notum enim est, spiri-

tuosa expandere fluida corporis nostri & in ipsum agere purissimum fluidum, quod per nervos progrediens, sensum & motum perficit. Hoc fluidum, a spirituosis varie agitatum, producit temulentiam, seu phantasiae quandam turbationem, ut varias ebrii nugas vel alia agant, quae minus conveniunt. Quam praeclarus vero effectus ab irregulari tali fluidi nervei oriatur commotione, pulchre in ebriis animadvertimus, qui, si diu satis furore quodam quasi acti fuerunt, tandem vacillant, corpusque sustinere amplius nequeunt; ex quo debilitatem nervis, ad musculos motui voluntario inservientes excurrentibus, inductam esse, facile intelligitur. Neque hoc mirum: constat enim, imagines rerum formari ab animo, fluidi nervei ope, cum in lipothymiis, cessante humorum in gyrum actione, adeoque & nervei fluidi motu, nullas plane a mente formari ideas posse, doceamur ab iis, qui diuturnioribus talibus vexantur lipothymiis. Iam vero ipsae nos docent ebriorum actiones, eorumque verba, numquam celerius atque maiori in copia imagines a phantasia condi ac efformari, quam sub ebrietatis statu; unde ut magnâ copiâ versus caput nerveum adfluat fluidum omnino necesse est. Maior vero eius adfluxus versus aliquam partem, eiusdem in alia parte imminutionem supponit. Maiori ergo in copia si fertur versus caput, parcius in musculos voluntario motui destinatos influet. Ad tonum vero vitalem partium requiritur fluidi huius sufficiens copia; ab impedito itaque eius in musculos influxu orietur debilitas, hinc musculi ad animales actiones

alias apti, iam minus rite officio ſuo fungi poterunt, indeque crurum illae vacillationes, manuum tremores, & impotentia illa firmos figendi greſſus, orietur. Cum vero minus rite in muſculos hos influxus fluidi nervei perficiatur, indeque praeternaturalis oriatur eorum debilitas, quis illas muſculorum fibras, e quibus tunicae inteſtinorum muſculoſae componuntur, a malo hoc immunes pronunciabit? Harum vero fibrarum vi ac robori potiſſimum debetur motus eorum periſtalticus; imminuetur ergo & hic, & ſic tandem fundamenta morbi iaciuntur, qui cum ſaepius a nimia ac profundiori oriatur meditatione, magis ſaepe honori iis eſt, quorum corpora vexat. A craſſioribus cereviſiis excitata ebrietas, cum ingentem huius potulenti aſſumtam ſupponat copiam, a nimia vero potulentorum copia duplici potiſſimum modo inteſtina debilitentur, dum nempe diſtenduntur & relaxantur, quid mirum, ſi inde debilitas ſequatur & imminutio motus periſtaltici? Porro quoque a craſſioribus cereviſiis impuritates in ſanguinem variae ingeruntur, ac dyscraſia ſic augetur; immo lupulus craſſiori quodam vaporoſo-ſulphureo principio abundat, quod fluidum nerveum adficiendo irregulares illas commotiones producet, quas a ſpirituoſis diximus excitari. Neque ego quidem exiſtimarem eum valde erraturum, qui a tali vaporoſo ſulphure ipſum inquinari fluidum nerueum aſſereret, eiusque minui elaſticitatem, ut ad motus neceſſarios magis dein reddatur ineptum.

§. XXV.

§. XXV.

Transspiratio neglecta, quam inter caussas huius mali recte quoque referri diximus, quid potissimum ad eius conferat generationem, is facile intelliget, qui reputaverit sordes semper generari recrementitias. Scimus enim, phlogiston illud a Chymicis dictum, sive inflammabile principium, copiose satis sanguini inesse; acidum vero vegetabile copiose quoque cum cibis adsumi; iungitur hoc iugi circulatorio motu cum phlogisto illo, indeque tum alcali volatile producitur, tum volatile acidum, pro varia nempe proportione varioque modo, quo duo haec principia iunguntur. Sub sano autem statu neque alcali, neque acidum inesse sanguini debere, experientia docet, cum manifestum vel alcali, vel acidum, naturam sanguinis destruat atque corrumpat. Oportet itaque ut generatum illud alcali atque acidum eliminentur. Fieri hoc potissimum per transspirationem, ex peculiari vel acescente, vel foetido alcalino odore sudoris concludimus. Haec igitur si impediatur, accumulabuntur sordes, quae irritando spasmos efficient.

§. XXVI.

Veneris abusu *debilitatem* nervoso generi induci, hinc & illis nervis, qui ad intestina tendunt, facile intelligitur, cum semen ex purissima ac delibatissima sanguinis portione constet. Qui vero hoc per studia nimia & profundiores meditationes perficiatur, operae pretium erit indagare. Diximus (§. II.) ad ideas efformandas menti opus esse fluido nerveo. Si igitur concatenata quaedam idearum

rum series, qualis in profundioribus meditationibus esse solet, formari debeat, maior fluidi nervei copia ad hoc requiretur negotium, quam si leviter & vage tantum de re quadam cogitamus. Sub maiori vero fluidi nervei ad caput adfluxu, eius in reliquos, ad musculos tendentes, nervos influxus minuetur, indeque debilitas iis inducetur. Adde his alteram caussam, quod nempe a copiosiori fluidi nervei ad caput adfluxu distendantur tenuissima vasa fluidum nerveum ibi vehentia. Extensis vero his vasculis oportet ut elementa fibrarum, e quibus constant, ab invicem magis secedant, inde minus cohaereant. A minori autem elementorum cohaesione debilitas oritur: debiliores itaque reddentur fibrae nervorum, neque fluidum contentum tanta, quam antea, vi propellent. Requiritur autem ad contractionem musculi voluntariam, ut certa quadam ac determinata vi fluidum nerveum moveatur, hoc an fieri possit, praesente debilitatione vasorum, in quibus fluidum hoc per cerebrum fertur, ii diiudicent, qui non ignorant, eo celerius atque fortius moveri fluida nostri corporis, quo maior est naturalis tonus ac elasticitas vasorum, in quibus feruntur.

§. XXVII.

Hoc vero dignum notatu est, eos tantum nervos ab his, quas in antecedentibus §§. enarravimus, caussis, debilitari, qui ad musculos animalibus potissimum functionibus, destinatos tendunt, reliquos, qui motum cordis efficiunt, inde non solum non adfici, sed magis quoque roborari. Observarunt enim physiologi, ad vitales actiones destinatos nervos e

cerebello potissimum oriri, cum reliqui originem suam cerebro debeant. Docet nos quoque ipsa experientia, motum cordis arbitrio nostro non esse subiectum, sed vel nobis invitis augeri atque minui. Concludimus inde, animam fluidi nervei in cerebro motum ita dirigere non posse, ut vel copiosius influat in nervos ex cerebello ortos, vel parcius. Inde magna oritur probabilitas, neque illam, qua ad ideas producendas indiget, fluidi nervei partem, revocari ex nervis iis posse, qui ad cordis motum impenduntur. A profundioribus itaque meditationibus cordis motus non imminuetur, quin fere inducor, vt dicam, eas fibras, quorum nervi cerebello originem debent suam, magis adhuc tendi, cum ab animi adfectibus augeri hanc tensionem videamus. Quid enim quaeso animi est adfectus, quam celerior quaedam plurium idearum simul facta repraesentatio? Ad hanc fluidi nervei maior requiritur ad fluxus; sub maiori vero fluidi nervei ad caput adfluxu per ipsam interiorem capitis mechanicam structuram accidere potest, ut abundans hoc fluidum in cerebelli nervos copiosius influat. A copiosiori autem influxu tensio oritur; tendentur ergo & hi nerui, adeoque reddentur sensibiliores.

§. XXVIII.

Cognitis sic tandem hypochondriaci mali caussis, difficile non erit ipsas *sensibilitatis* eorum *peculiaris caussas* enarrare. Fiet id eodem ordine, quo ipsa ea sensibilitas secundum actiones vitales, naturales & animales superius a nobis fuit exposita. Sic facile iam cognoscetur caussa eius sensibilitatis cuius

mentio

mentio a nobis facta est §. XIII. E caussis enim §. XXI. demonstratis debilitas intestinorum cognoscitur, ab hac ergo retardatus orietur motus peristalticus. Iam si cibos in debilitatum antea ventriculum descendere ponas, latera ventriculi, ob debilitatas musculares, quibus instructus est, fibras, magis distendentur, cum contra naturali suo tono ac robore gaudens ventriculus fortius comprimat contenta, atque sic in minus spatium redigat, immo & flatus, ob debilitatem geniti (§. XXI.), ulterius simul expandent ventriculum. Magis autem distensus ventriculus diaphragma quoque sibi incumbens magis attollet premetque versus cavitatem thoracis. Minor fit itaque thoracis cavitas, comprimentur sic pulmones & respiratio fit difficilis. Compressis pulmonibus sanguinis per eos transitus fiet difficilior, indeque cordis palpitatio. Dum enim compressi pulmones resistunt motui sanguinis e corde propulsi, eo ipso motus systalticus turbatur, & tremulus eodem modo efficitur, quo id in iis animadvertimus, qui cordis aliquo laborant polypo. Difficilis hic transitus sanguinis per pulmones augebitur adhuc a fluidi huius spissitudine (§. XXII.) cum per se iam notum sit, tardius moveri spissiorem sanguinem, per minima vascula, ob maiorem ibi frictionem, indeque imminutam vim, quam fluidiorem. Inde maior erit spirandi angustia motusque cordis magis retardabitur.

§. XXIX.

Unde vero a levi animi adfectu turbatio illa motus cordis vitalis & sanguinis circulatorii? Non

difficile erit hanc indagare caussam. Primo enim attendendum tantum est ad animi in hypochondriacis sensibilitatem, superius (§. XVI. seqq.) a nobis expositam, cuius caussas mox enarrabimus. Animi vero sensibilitas non proclivitatem tantum ad adfectus animi infert, sed & efficit, ut graviora sibi quaevis fingant mala, quam revera sunt. Quotidiana autem docet experientia, animam eo maiores in corpore excitare motus, quo maior est res, a qua afficitur. Sic si bellicum tormentum ex improviso explodatur, maior erit terroris in corpore audientis effectus, quam si sclopetum fuerit explosum. Si igitur ob phantasiae errorem quendam, qualis in hypochondriacis adesse solet (§. XVI.), levior aliqua terroris, gaudii vel tristitiae caussa, tanquam insignis & magna repraesentetur, motus inde in corpore excitati insignes quoque erunt, & maiores quam in iis, qui tali non laborant phantasiae vitio. Sed neque illud hic negligendum est, quod (§. XXVII.) indicavimus, in hypochondriacis nervos ad vitales actiones abeuntes magis tensos esse. Circumdata his nervis sunt, praeter cor, vasa quoque sanguinem vehentia. Tensis horum vasorum nervis, eorundem augebitur sensibilitas (§. V.). Iam vero physiologia monstrat, motum vasorum contractorium augeri & minui pro aucta eorundem sensibilitate. Immo non improbabile est, ab hac ipsa sensibilitate eundem pendere, cum post mortem abesse deprehendatur. Si vero pendet a sensibilitate tunicarum vasa sanguifera ambientium eorum systole & diastole, sequitur ut sensibilitate au-

cta motus hic dilatatorius & contractorius maiori perficiatur cum impetu, indeque reddi ratio potest durioris, quem plerumque in hypochondriacis deprehendimus, pulsus. Novimus porro vasa corporis nostri sanguifera conoidea esse, ita ut basin suam in corde habeant, apicem in extremitatibus, fluidum autem in tali vase motum, agit in latera vasis, in quo continetur. Celerius itaque moto sanguine, maior erit vis, qua agit in vasa. Sensatio vero sub aequali fibrarum tensione vi illi, qua corpus, sensationem excitans, in nervos agit, aequalis est. Sive igitur ex mente LEIBNITZII, vim, qua corpus movetur, quadrato celeritatis in massam eiusdem ducto, aequaveris, sive cum CARTESIO, eandem producto ex simplici celeritate in massam aequalem posueris, ab aucta tamen celeritate semper corporis, indeque & fluidi, quale sanguis est, augebitur vis. Maior itaque vis erit, quacum sanguis celerior motus in parietes vasorum agit, maior inde quoque excitabitur sensatio atque validior hinc contractio. Et sane hic etiam idem illud animadvertimus, quod in plurimis aliis morbis usu venire solet, circulum nempe quendam formari a caussa atque effectu, ut quae primo caussa fuit, eadem deinde ab effectu suo, tanquam a caussa, excitetur ac producatur. Augetur hic nempe sanguinis motus atque celerior redditur a contractione fibrarum, ab animi adfectu, tanquam proxima caussa, excitata: sed idem hic auctus sanguinis motus, dilatando vasa fibrasque tendendo & ad contractionem invitando, efficit, ut fibrae dein maiori rursus vi se contrahant. Haben-

da tamen & hic simul est ratio spissitudinis sanguinis, quam in hypochondriacis adesse demonstravimus (§. XXII. sqq.). Spissitudo haec supponit maiorem in sanguine solidarum particularum copiam, quae cum graviores sint aqueo elemento, plus etiam massae, quae aequalis est mole aquae, continebunt. Cum itaque vis ex massa & celeritate aestimetur, ideo aucta sub maiori massa celeritas maiori impetu movebitur, quam sub massa minori. Facile inde cognoscitur, spissiorem sanguinem maiorem vim exserere si commoveatur, quam eum qui magis est fluidus. Maiori vero vi si fertur spissior sanguis, maiorem etiam in tunicis vasorum excitabit sensationem: augebitur itaque inde eorundem contractio. Et hoc quoque in plethoricis optime perspicimus, qui, si sanguinis spissitudine simul laborent, longe facilius obnoxii sunt apoplecticis insultibus, quam si fluidiori sanguine abundent, qua quaeso de caussa, nisi quod spissior sanguis commotus maiori vi agat in vasa, & sic facile continui eorundem in cerebro solutio ac haemorrhagia adeo cerebri sequatur, quae formale apoplexiae verae constituit.

§. XXX.

Ea vero, quae in *naturalibus functionibus* occurrit hypochondriacorum sensibilitas, quamque §. XIV. exposuimus, inquirenda iam est, eiusque caussae eruendae. Transpiratio cur facile in hypochondriacis cesset & facile copiose iterum provocetur, cognosci si debeat, attendendum ad id erit, quod de transpiratione generatim nos docet physiologia. Dividuntur nempe vasa corporis nostri sanguifera

in

in minutissimos ramos, quorum ultimi, qui non nisi unicum globulum sanguineum recipiunt, tandem in lymphatica vasa terminantur. Emittunt haec denuo subtiliores canaliculos, qui in cutis terminantur superficie. Tenuior itaque sanguinis pars ex sero & lympha vel resolutis globulis constans, ingreditur tenues hasce vias, earumque ope ad ultimam corporis pervenit superficiem. Haec libero aëris accessui patet. Fluida vero aquea, quae ab aëre continguntur, resolvi in vapores sive minutulas valde elasticas moleculas, docet nos naturalis philosophia. Resolvetur hoc modo sanguis in subtiliores vapores sensimque exhalabit. Hanc vero exhalationem fieri non posse, si ab immediato aëris contactu fluidum arceatur, facile patet. Cessabit ergo constrictis ultimis tubulis, per quos ad superficiem corporis deducebatur. Constringi hos tubulos animadvertimus, si vel ab externa, vel interna caussa irritentur. Unde enim quaeso cohibita a frigore transpiratio, nisi a sensu illo, quem frigus fibris corporis nostri imprimit; contrahunt se inde fibrae, & cum tunicae, omnia corporis nostri vascula ambientes, ex fibris compositae sint, minor fiet vasculorum diameter, indeque fluidum, antea per haec vascula motum, ab ingressu in eadem iam excludetur. Idem in febribus animadvertimus. Febres a miasmate quodam salino - sulphureo sanguini admixto oriri, docuit nos immortalis HOFFMANNVS. Agit subtile hoc sed acre inquinamentum in minimorum vasculorum tunicas, earumque fibras irritando spasmum illorum efficit, quo fit, ut & transpiratio cohibeatur

beatur & ſanguis a peripheria verſus interiora corporis compellatur. Idem videre quoque eſt in tumoribus quibuslibet, ubi ſemper in ea, quam tumor occupat, parte, ob vigentes ibi ſpasmos, ceſſat tranſpiratio. Iam vero diximus (§. XXI.), fibras, quae ad vitales actiones adhibentur, in hypochondriacis valde eſſe tenſas; erunt itaque & eae tenſae, quae ſanguiferorum vaſculorum membranas efficiunt. Fibra autem magis tenſa eſt ſenſibilior; in ſenſibiliori fibra a minori cauſſa idem ſenſus excitabitur, quam in minus ſenſibili a cauſſa maiori. Accidere igitur idem in hypochondriacis debet, & hinc levior aura eundem ſenſum producet in fibris hisce, quam gravius frigus in aliis ſanis efficit. Motus itaque hunc ſenſum neceſſario excipiens, aeque magnus erit. Contrahent ſe ergo minora vaſcula a leviori cauſſa, indeque ceſſabit tranſpiratio, vel ſaltem imminuetur.

§. XXXI.

Diaphoretica novimus actionem ſuam perficere ſubtili quodam acri principio, quod ſanguini noſtro admixtum irritat fibras vaſorum ſanguiferorum. Irritatae fibrae ſe contrahunt; augetur inde motus arteriarum ſyſtalticus. Aucta in aliquo vaſe ſyſtole, ut in alio cum hoc connexo diaſtole augeatur neceſſe eſt. Fiet ſic tandem, ut utroque, tam contractorio, quam dilatatorio motu aucto, vegetior reddatur circulus ſanguinis. Aucto motu ſanguinis circulatorio, augetur tranſpiratio, quod ex phyſiologicis principiis conſtat, & confirmatur ab experientia. Augebitur itaque tranſpiratio ab irritatione

tione subtilis cuiusdam principii in maioribus sanguiferis vasis. In hypochondriacis fibrae vasorum magis sunt tensae magisque sensibiles (§. XXIX), inde facilius possunt irritari. Talia igitur ipsis si exhibueris remedia, quae parciorem quantitatem subtilis illius acris principii continent, aut si refracta in dosi eadem ipsis exhibueris, idem tamen sequi poterit, qui a fortiori diaphoretico, effectus. Caveat igitur sibi Medicus, ne subiecto tali volatilia exhibet, maxime autem spiritus ex animantium partibus paratos, cornu cervi nempe & eboris, nisi peiora ipsis concitare velit pathemata.

§. XXXII.

De pessimo, qui saepe accidit, diureticorum in hypochondriacis effectu, cuius quoque mentionem §. XIV. fecimus, tanquam speciminis singularis cuiusdam sensibilitatis, non opus erit multis disserere. Facile, cur is sequatur, intelliges, si modo cognoveris operandi modum plerorumque diureticorum. Ea vero hic diuretica remedia intelligimus, quae directe diuresin movent, non vero, quae indirecte illud perficiunt, qualia saepe ipsa sunt antispasmodica, si nempe urinae imminutio, ob spasmos in vasis eius se- & excretioni inservientibus, acciderit. Proprie sic dicta diuretica agunt sale quodam acri, vias excretioni urinae destinatas stimulante; a stimulo enim ibi excitato maior sanguinis versus illas partes fit adfluxus, indeque maior quoque urinae secretio. Mirum equidem videri alicui posset, cur tale remedium diureticum, tam acri salino principio praeditum, quod tanta vi in vias agit urinarias, ut

F non

nonnumquam, a copiosiori usu aut abusu potius eiusdem, vel ipsae inflammationes fuerint suscitatae, cur inquam tale remedium non in ventriculo & primis viis vim atque efficaciam suam exseruerit. Si enim causticum tale sal arrodet vasorum sanguiferorum tunicas, cur non etiam in villosae tunicae canaliculis, per quos transire tamen ex intestinis debuit, idem effecit? Utuntur talibus argumentis, qui operandi modum mechanicum medicamentorum admittere nolunt, nescio vero qua occulta vi eadem agere sibi fingunt, nec tamen animadvertunt, caussas miri saepe effectus adesse posse mechanicas, quas haud difficile erit eruere. Adsumimus enim diuretica non cruda, sed aliis, potissimum praecipitantibus & absorbentibus,mixta. Involvunt haec crassioribus suis partibus salina spicula, ne vim suam tam facile exserere possint. Deinde adsunt in ventriculo & intestinis multa, quae salinorum spiculorum efficaciam infringunt, siquidem muco potissimum intestinorum canalem obductum esse scimus, qui sane hoc maxime efficere potest, ut a salini acris principii irritatione defendat partes, quibus inhaeret? Nihil igitur efficient in primis viis diuretica; sed ad sanguinis massam si pervenerint, motu sanguinis circulatorio magis magisque ab aliis adhaerentibus partibus liberantur & ad operationem, quam efficiunt, apta redduntur. Haec ὡς ἐν παρόδῳ. Si itaque acri cuidam salino principio debetur diureticorum actio, quod fibras, excitata in illis sensatione, irritat, fibrae autem, vasorum tunicas efformantes, tensae magis sunt in hypochondriacis, hinc effectus quo-

que

que maior erit. Maior enim in sensibilioribus his fibris excitabitur sensatio, indeque maior fiet affluxus sanguinis. Si vero plus sanguinis per arterias advehitur, quam refluere per venas possit, distendentur arteriolae, stases sic inducentur, sanguis in minora vascula, quae talem humorem proprie non vehunt, intrabit, eaque irritabit. Paucis denique ut me explicem verbis, inflammatio partis suscitabitur, indeque pessima arcessentur symptomata, quae sequi ac comitari inflammatorias solent stases.

§. XXXIII.

Purgantia salino quoque quoad maximam partem agunt principio, sed crassiori, minusque quam in diureticis subtili. Irritantur inde tunicae intestinorum & ad maiorem constrictionem inuitantur; augetur sic motus peristalticus & contentae magna vi extruduntur feces. Iam vero novimus, vehementiorem spasmum & constrictionem fibrarum itidem insignem sequi atoniam; cumque in hypochondriacis intestinorum iam adsit debilitas (§. XXI.), hanc inde augeri quis non videt? Deinde in hypochondriacis spissitudo & dyscrasia adest sanguinis (§. XXII. sqq.) inde vero impeditur fluidi huius per membranaceas partes, quales intestina sunt, alias iam difficilis transitus, inde stagnationes fiunt, fibrillae vasorum irritantur, & spasmus sequitur. Hanc ob caussam etiam contingit, ut, debilitatis alias licet intestinis, saepe tamen spasmis adfligantur & inde ortis colicis doloribus. Augetur ex ea etiam caussa flatuum proventus, dum vaporibus transitus a spasmo praecluditur ac denegatur. Hi igitur spastici

motus si vigeant in aliqua intestinorum parte, & accedat insuper aliqua, a purgante pharmaco, irritatio, quam gravis spasmus, quotque inde dolorifica symptomata excitari debeant, nemo erit, qui non facile animadvertet. Accedit, quod ob difficiliorem per intestina transitum sanguinis, eiusque per venae portae systema tardiorem motum, ad haemorrhoidalia potissimum molimina valde dispositi sint hypochondriacorum plurimi. Per acriora vero purgantia sanguinis adfluxus, ob maiorem irritationem, fit maior versus inferiores abdominis partes; ob constrictionem autem intestinorum progressus eius per membranaceas has partes fit difficilior, haeque duae caussae, ut ex pathologia notum est, haemorrhoidalem fluxum efficiunt. Quid inde mirum, si improvide data talia purgantia haemorrhoides vel excitent in nondum adsuetis, vel in adsuetis turbent? Cane igitur peius & angue fugienda sunt drastica illa, quae colocynthidem continent remedia, ut trochisci alhandal, itemque helleborata & resinosa, aliaque huius notae pharmaca, veluti elaterium, scammonium, &c. Idem hoc, quod de purgantibus iam diximus, etiam de emeticis valet, cum actio purgantium & emeticorum non differat, nisi loco, in quo exseritur, & emetica eodem modo in ventriculum agant, quo purgantia in intestinorum canalem. Utrorumque certe usus in hypochondriacis eo quoque nomine periculosus est, quod facile vel ob praesentes iam spasmos, vel ob sanguinis coniunctam spissitudinem, inflammationes lethales post se trahat.

§. XXXIV.

§. XXXIV.

Quod de voluntariis musculorum motibus §. XV. diximus, hypochondriacos omnium facillime peculiares quosdam gestus adsumere, qui in consuetudinem dein abeunt; eius caussa nulla videtur esse alia, quam eorum ad profundiores meditationes inclinatio. Eos enim, qui defixi in aliqua cogitatione sunt, saepe voluntarios quosdam videmus motus suscipere, quorum sibi tamen conscii non sunt. Neque id mirum. Impossibile enim est, ut duae simul ideae aequali claritate ab animo percipiantur. Si itaque in una quadam idea clara ac distincta, ut fit in meditationibus profundioribus, attente consideranda, occupata mens sit, altera idea, quae ad voluntarium musculi motum requiritur, clara esse nequit, sed admodum obscura. Ut vero conscii nobis simus ideae cuiusdam, aliquis eiusdem requiritur gradus claritatis. Valde obscurae ergo ideae nobis non erimus conscii. Fiunt inde tales motus inscia mente, quae si saepius repetantur, in consuetudinem facillime abeunt.

§. XXXV.

Iam ad animi sensibilitatem transeamus, cuius fundamenta ex corporis eorum conditione plerumque sunt petenda. Illa equidem, quam §. XVI. enarravimus, cum in aliis quoque subiectis, quae hypochondriaco malo proprie non adflicta sunt, deprehendatur, cognitu non erit difficilis. Peculiarem nempe in omnibus fere iis deprehendimus animi sensibilitatem, qui gravi aliquo vel externo vitio corporis, vel interno chronico laborant morbo, illiusque sic origo facillime cognoscitur. Ad animi nempe tranquillitatem requiritur, ut nullis angamur curis vel tristibus sensationibus. Eorum vero corpora, qui vel hypochondriaco, vel alio chronico laborant morbo, semper quandam animo offerunt vel doloris, vel ingratae ad mi-

nimum sensationis caussam, unde fit, ut vel miserum corporis sui statum, vel, quam sibi semper fere propinquam fingunt, mortem, considerantes, vel molesto aliquo ac dolorifico sensu ob corporis vitium adfecti, raro morositatem deponere ac hilares esse possint. Praeterea observamus, varias saepe imagines, animo obversantes, tam necessario ex sanguinis ac fluidi nervei pendere motu, ut sub eo, qui requiritur, sanguinis & fluidi nervei motu, mechanica quadam necessitate oriantur in animo, & contra eosdem motus in corpore oriri sub earum idearum in mente repraesentatione. Sic si spissior sanguis tardius per cor & pulmones transit, angoris idea animo obversatur, indeque fit, ut anxia de spectris vel aliis terrificis rebus insomnia dormientibus eveniant, si difficilior ipsis fuerit talis sanguinis motus, una enim idea ex phantasiae lege plures producit, ut inde longa series variarum repraesentationum efficiatur. Si celerrime & cum impetu quodam fluidum moveatur nerveum, ut in dolorifica quadam sensatione, terroris producitur idea. Efficiuntur inde pavores sub somno, quales in infantibus animadvertimus, quibus vel dentitio difficilis, vel variolae & morbilli imminent, & in podagricis ac dyscrasia quadam acri laborantibus. Irritantur nempe etiam sub somno fibrillae quaedam nerveae, vel a dentium, qui erumpere conantur, progressu, vel a miasmate morboso, a qua irritatione celerius agitatum fluidum nerveum efficit, ut terroris idea animo suboriatur. Idem igitur hypochondriacis accidere quid mirum, cum spissitudine plerumque laborent & dyscrasia sanguinis, ac saepius per cor & pulmones sanguinis transitus in ipsis impediatur (§ XIII.).

§. XXXVI.

Ad tristitiam itaque hypochondriacos levi saltem

data occasione facile disponi, de qua eorum sensibilitatis specie §. XVIII. egimus, nemini videbitur mirum. Ad laetitiam enim, sub naturali statu, celerior quidam sanguinis & fluidi nervei requiritur motus, quod ipsa nos docet experientia; hic vero in hypochondriacis obtineri non potest, quoniam sanguis in iisdem tardius mouetur. Ad celeriorem quoque variarum idearum repraesentationem, celerior requiritur fluidi nervei motus, qui dependet a robore vasorum cerebri, in quibus fertur; his vero debilitatis, ut accidere in hypochondriacis solet (§. XXVI.), tardius fluidum hoc movebitur, neque animo adeo pro variis celeriter efficiendis ideis inserviet. Fiet inde, ut tardius productis ideis, uni potissimum magis inhaereant, quae si tristis fuerit, maior inde orietur tristitiae sensus, quam in sano, ubi tristis illa idea facilius aliis cedit. Tum morales saepe etiam accedunt caussae, cum ob sensibilitatem se ab hoc vel illo laesos, vel indigne tractatos, vel contemptui habitos, putant, quo fit, ut tristes semper atque caliginosa veluti nube tecti sint.

§. XXXVII.

Cur vero ad *immoderatam laetitiam* atque *risum* saepe inclinent hypochondriaci, si perspicere velimus, eadem attendenda nobis lex est phantasiae, de qua §. III. egimus, quod certas nempe quasdam sensationes ideae sequantur, quarum similes dein a phantasia efformatae longam nobis sistunt idearum seriem. Deinde illud quoque animadversione hic omnino dignum est, quod §. XXXV. monuimus, reciprocum nempe hunc nexum esse, ut, si motus B ideam A producat, eadem idea A motum B producere quoque valeat. Ad risum requiri non laetam modo in mente ideam, sed & labiorum & genae musculorum motum quendam, abunde iam constat, potissimum vero

diaphra-

diaphragmatis motum succussatorium, quo fit, ut explodatur contentus in pulmonibus aër. Producitur talis motus ad voluntatis imperium, si laetae menti obversentur ideae. Idem itaque motus, si a praeternaturali quadam excitatur caussa, ob reciprocum mentis corporisque nexum, laetas in mente ideas & risum excitabit. Excitari vero talis diaphragmatis motus potest, vel ab acrimonia sanguinis per eius vasa transeuntis, vel ab eiusdem in vasis phrenicis stagnatione, qua distenduntur vasa atque sic irritantur. Ne cui vero ridicula haec atque minus probabilis videatur theoria, qua supponimus, risum a solo motu quodam in corpore, absque laetis in mente ideis, excitari posse: is modo consideret velim satis frequentem experientiam, qua fit, ut titillati circa costas, in risum satis saepe vehementem effundantur, itemque qui superficiariam quandam membri cuiusdam experti sunt subluxationem, qui plerumque tali adficiuntur sensatione, ut risum cohibere nequeant.

§. XXXVIII.

Et haec quidem nunc de peculiari illa hypochondriacorum sensibilitate sufficiant. Addi his plura quidem possent, quae ad praxin spectant medicam, & potissimum praeservationem vel curationem huius mali concernunt; cum vero satis pertinax hic morbus, ubi semel firmas egit radices, non facile remediis cedat, & qui illum expugnare conantur nonnumquam ipsi sub eius tyrannide gemant, insuper vero Practicorum libri plura nos doceant, quae ad minimum pro mitigatione huius mali exhiberi possunt, inutile fore putamus, plura hac de re commentari, praecipue cum ad sensibilitatem hanc expugnandam, in quantum ex immaterialibus proxime pendet caussis, non parum moralia argumenta conferant, quae plus saepe in iis efficiunt, quam insignis remediorum farrago.

TANTVM.